



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvscvla Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1681**

Itinerarium à Lutetia in Galliam Narbonensem anno MDCLIV. mense  
Novembri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14704**

## ITINERARIUM

A Lutetia in Galliam Narbonensem  
anno MDCLIV. mense Novembri.

**D**A veniam si te, Regina Lutetia, leti  
Linquimus. In patriam nos pia cura  
vocat.

Sævit hiems, properamus iter inmix illud ademit.  
Concreta hanc tumidus sparserat Eurus aqua.  
Mox autem celeres Borea stridente per auras,  
Cuncta obstipatam comprimit arva gelu.  
Sic quæ damna viæ nobis infesta videntur,  
Propitio sunt numine subsidia.  
Imbribus hibernis nam quæ madefacta solebat  
Sorbere & rhedas tristis equosque via,  
Indurata gelu facilem se præbuit actis  
Curribus, & timidos commoda mulsit equos.  
Nos quoque concussos recreant libata Niverni  
Præfulis eximio fervida mensa mero.  
Ast juga quadrupedantibus exsuperanda super-  
sunt,  
Scandere præruptus quæ rigor ille vetat.  
Aspirat felix Auster, flatuque secundo  
Frigore constrictam solvit abundè viam.  
Tandem sic Araris Rhodanique allabimur oris,  
Vrbs ubi Lugdunum tollit in astra caput.  
Qui tenet antistes toto celebrem orbe cathedram,  
Collegas lautis excipit officiis,

Et quem *Palladiæ* sacra ornat vitta *Tolosæ*,  
 Et quem *Montalbani* infula sacra tegit.  
 Postridie incorruptæ exordia matris aguntur,  
 Quæ primum ille fuit festus in urbe dies.  
 Rhetor ubi *Augusti* steterat dicturus ad aram;  
 Nunc posita est Christo quæ fovet ara pios.  
 Numinis auspiciis hic nos committimus undæ,  
 Quæ *Rhodano* placidas *Sagona* miscet aquas.  
 Antiquis sese ostentat decorata colonis  
 Quæ populos mater jure *Vienna* regit.  
 At pius antistes nos in sua tecta recepit  
*Condriaci*, oppiparo splendidus hospicio.  
 Hic adimunt fessis elegantia vina labores,  
 Quæ vena felix divite fundit humus.  
*Turnonum* *Musis* devota sacraria pandit,  
 Percelebre eximiis quos habet aedituis,  
 Clara situ, sacra pollensque *Valentia* sede  
 Dum pastore caret; trudemur in stabulum:  
*Vivarium* impositum rupi despectat euntes,  
*Elvia* gens regimen suscipit unde sacrum.  
 Exin quæ lætis se attollit *Arausio* campis,  
 Sede quoque & synodis nobilitata suis.  
 Incluta *Romano* succedit *Avenio* fastu,  
 Orbi quod pridem *Gallula* *Roma* fuit.  
 Egressi tandem fluvii vectoris ab undis,  
*Bellicadrum* faustis tangimus ominibus.  
 Expandit se dein candente obseptus oliva  
 Agger, quem cingunt *Bacchus* & alma *Ceres*.  
 Ducit ad insignem antiquo splendore *Nemausum*,  
 Romanis olim quæ fuit aucta viris.

450 OPUSCULA PETRI DE MARCA.  
*Amphitheatralis restant monumenta furoris,  
Quæ violavit trux Gothus & atra dies.  
Christi indepta fides, atque novis ornata colonis,  
Clarius evasit, Pontificisque throno.  
Monspelium advehimur, quò nos tractoria Regis  
Legitimis promptos evocat obsequiis.  
Conventus Occitanæ tunc gentis agebat  
Contius, Hispano victor ab hoste redux.  
Quem Reges atavi decorant, quos ille vicissim  
Ingenii exæquat dotibus atque animi.*

---

De vino Frontinacensi in Septimania.

A P O P H O R E T V M.

**I**NDIA quem præstat Moschi se jactet honore,  
*Qui solo nares siccus odore ferit.  
Frontinacum generosa tibi dum vina ministret,  
Moschum, in queis, vincit mixtus odore sapor.*

